

unam formam impossibile est. Ecce quod Commentator assignat causam, quia materia dum habet unam formam, non potest recipere aliam, quia impossibile est quod unum subiectum habeat nisi unam formam: et huius ratio supradicta est, quia scilicet una includit privationem alterius in materia. In libro autem uno de Generatione multa dicit ad istam quaestionem, et similiter in libro Physicorum. Sed quia eadem est sententia cum supradictis, ideo pertranseo, ne propter multitudinem auctoritatum, lectori fastidium generetur. Et accedo ad tertiam viam principalem propositi ostensivam.

PARS TERTIA

Quaedam loca huius tertiae partis ex imperitia vel negligentia librariorum apparent esse corrupta, ita ut non raro legitimus sensus aegre admodum percipi valeat. Ad minuendas obscuritates aliqua verba caractere italicico subjecta sunt.

Tertia via sumitur ex rei unitate. Non enim substantia generata esset simpliciter una si ad ejus essentiam pertinent plures formae; et hoc ex prima via supra posita, scilicet de impossibilitate formarum in eadem materia, manifeste sequitur. Similiter et ex secunda quae sic patet. Ab eodem res habet quod sit ens simpliciter, et quod sit unum simpliciter: nam unum nihil addit supra ens, nisi rationem indivisionis. Unde unum esse est unicuique esse, ut dicit Philosophus 4 Metaph. (num. 3.); sed a forma substantiali, quantumcunque imperfecta res, habet quod sit ens simpliciter, scilicet hoc aliquid, ut estensum est; ergo ab eadem habet unitatem simpliciter. Omne ergo superveniens erit additum respectu unitatis simpliciter, et per consequens ex ipso praesistente non erit unum simpliciter. Quando igitur una forma supervenit alteri, secunda forma erit quiddam additum essentiae ejus cui advenit, et non constituet unum cum eo cui advenit. Unde sicut homo albus, vel luscus, (vel) musicus est ens per accidens, ita est unum per accidens.

Ex propriis autem propositionibus huius viae supra positae potest ostendi propositum sic. De ratione formae est quod actu dividat seu distinguat illud, cuius est, ab omni alio. Duae ergo formae faciunt duo divisa. Oportet enim quod una sit actualiter divisa ab alia. Ubicumque sunt duae formae necesse est quod sint duo actu divisa, quia est ipsa essentia simpliciter divisa.

Sed divisio simpliciter opponitur unitati simpliciter; ergo aggregatum ex duabus formis non est unum simpliciter: cum igitur quaelibet substantia generata sit unum simpliciter, impossibile est quod duas habeat formas in sua essentia; quia divisio alicujus rei ab aliis consequitur omnem formam et non potest unitas rei in se stare cum pluribus formis, quae seipsas ab invicem dividunt.

Ista via suscepta est a Philosopho et Commentatore in pluribus locis. Dicit enim Philosophus VII Metaph. quod ex duabus substantiis in actu non fit unum. Actus enim distinguit. Et Commentator dicit ibidem quod, una substantia in actu non fit ex duabus substantiis in actu; et causa in hoc est, quia actus distinguit et facit esse divinum et duo; et ideo impossibile est quod unum sit ex duobus in actu. Secundum Commentatorem, causa distinctionis est actus: ex quo sequitur quod duo actus causant duas distinctiones, nec impeditur hoc si recipiantur duo actus in eodem subjecto, quia causa distinctionis est actus. Unde musicus, et grammaticus licet sint in eodem subjecto, non tamen sunt unum nisi, per accidens.

Et quod ad unitatem substantiae requiratur quod ejus sit tantum una forma, habetur a Commentatore II de anima, qui dicit sic: Compositum non dicitur unum nisi per unitatem existentem in forma. Materia enim non dicitur hoc nisi per formam; et quia materia non differt a forma in composito, nisi potentia: et compositum non est ens in actu nisi per formam; compositum non dicitur unum nisi quia sua forma est una. Ista verba dicit Commentator ad experimendum quod illud quod congregatur ex anima et corpore fiat unum, sicut ipse innuit ibidem; et ita vult manifeste quod in rebus animatis est unum ex unitate formae.

Unde ipse Philosophus postquam conclusit quod anima est actus primus corporis physici organici, statim ex hoc infert Commentator sic; unde non oportet quaerere si unum est anima et corpus etc. Et Commentator exponens eum dicit, quod cum declaratum est quod anima est prima perfectio corporis naturalis, et quod animatum non habet esse nisi ex eo quod habet animam, non est dubitandum quominus anima et corpus cum sint duo fiant unum, sicut non est dubitandum quod in cera et in figura unum fiat resultans ex eis, et universaliter in materia. Haec enim nomina unum et ens, licet dicantur pluribus modis, tamen prima perfectio in omnibus istis, scilicet forma, magis digna est ut habeat hoc nomen, scilicet unum et ens, quam illud quod est aggregatum ex materia et forma. Congregatum enim non dicitur unum nisi per unitatem existentem in forma. Ecce, quod secundum Commentatorem unitas com-

positi cuiuscunque est ab unitate formae. Et specialiter hoc dicit de composito ex anima et corpore.

Advertendum est tamen quod hoc quod dicit Commentator, et similiter Philosophus de cera et figura, quod non oportet quaerere quomodo sint unum, sic oportet intelligi non quod sint simpliciter unum, eo quod figura advenit cerae accidens in actu, sed quia alterum eorum est ut materia respectu alterius, nec est aliquid medium uniens figuram cerae cum cera, sicut ponebant aliqui quod esset aliquid medium uniens animam cum corpore, sicut ponebant antiqui, sed seipsis uniuntur et constituuntur unum per accidens, non autem unum per se, sicut habetur in V. Metaph. Aliter etiam probat Commentator in III de coelo, quod unitas in composito fit ex unitate formae substantialis per rationem divisivam dicens, quod Avicenna concessit quod elementa in mixto manent secundum suas substantias; et ex hoc contigit MAGNUM IMPOSSIBILE, scilicet ut elementa sint in composito in actu, et ita compositum non habebit unam formam substantialem. Quid est ergo quod dicimus compositum unum, utrum per unam formam, aut ut dictum est, in rebus continuis sic contignatis eas esse unam (*sic*); sed impossibile est dici compositum esse unum secundum contactum; ergo relinquatur ut sit unum aut secundum formam substantialem, aut secundum accidens.

Sed impossibile est ut sit unum per aliquid accidens; relinquatur ergo ut sit unum secundum formam substantialem.

Et considerandum est quod illa divisio Commentatoris satis sufficiens est. Quaecunque enim duo accepta, aut sunt in eis duo actus aut tantum unus, ita quod alterum sit actus, alterum potentia, aut ambo sunt in potentia. Si sunt duo actus, aut unus inhaeret alteri, aut non. Si unus inhaeret alteri tamquam subiecto, tunc sunt unum per accidens, sicut cera et figura. Si autem unus non inhaeret alteri, iam sunt duo substantia, ita scilicet quod vel nullam *colligationem* seu unionem sunt habentia, sicut Socrates et Plato, vel sunt coniungentia ad invicem secundum contactum, aliquo vinculo, tingentia ad invicem in duobus acceptis sicut sunt duo ligna conclavata. Si autem in duobus acceptis sit tantum unus actus, tunc alterum eorum erit potentia, et alterum actus; et ex eis erit unum simpliciter propter unitatem actus. Si autem in uno sunt duo vel plura in potentia sicut elementa in mixto vel partes contentae in toto, tunc ipsa non constituunt ens simpliciter, nisi per hoc quod sunt sub uno actu. Unde relinquatur quod cum mixtum non sit unum neque per contactum solum, neque per accidens, quod sit unum per unam formam substantialem sicut arguit Commentator. Et eodem modo oportet dicere quod corpus animatum sit unum per unam formam substantialem: et omnis substantia

cum per se sit ens et unum. Ex hoc ulterius inferri potest quod in quocumque ponuntur plures formae substantiales, quam una, in illo non sit unitas nisi secundum contactum vel ligamentum solum. Ex quo enim de ratione formae substantialis est constituere ens subsistens, oportet quod si sint plures formae, distincta *subsistentia* non sint unum per se, sed utrumque eorum est unum per se; nec sunt unum per accidens, quia neutrum accidit alteri, nec ambo alicui tertio. Relinquatur ergo quod illud, quod ponitur habere plures formas substantiales, sit unum solum secundum contactum vel ligamentum; et ideo Philosophus in I. de anima contra ponentes plures animas in corpore, recte quaerit quid continet illas, et quid facit in eis unum; et non potest dici quod uniantur per corporis unitatem, quia anima magis continet corpus, idest facit esse unum, quam e converso. Sed, in principio II. de anima, postquam ostendit quod anima est actus primus corporis, dicit istam quaestionem non habere locum. Ex quo enim anima est actus primus corporis et non est aliud, oportet quod se ipsis uniantur eo quod unum est potentia et alterum actus; et ideo dicit ibi quod non oportet quaerere si anima et corpus sit unum. Ubi dicit Commentator quod si materia et forma essent in composito existentes in actu, tunc compositum non diceretur unum, nisi sicut diceretur de rebus quae sunt unum secundum contactum et ligamentum. Modo autem quia materia non differt a forma in composito nisi potentia, et compositum non est actu nisi per formam, tunc compositum non dicitur unum nisi quia forma est una; et haec est sententia Philosophi principaliter intenta in fine VIII. Metaph. Quaerit etiam ex intentione istam quaestionem: qualiter ex partibus substantiae sensibiliter fiat unum, et solvit sic: quod quia una est potentia et reliqua actus, et non sunt duo distincta in actu, ideo non est aliquid uniens ea nisi agens, quod ducit potentiam ad actum; et postea subiungit quod, propter huius ignorantiam, quidam posuerunt medium uniens formam cum materia, puta quod vivere est medium uniens animam cum corpore. Unde et Commentator dicit ibi, quod omnis qui ponit quod anima et corpus sunt duo divisa, convenit ei et dicere quid sit causa ligamenti animae cum corpore. Qui autem dicit quod anima est perfectio corporis, et quod corpus non erunt divisa, nec accidit ei quaestio haec quare anima cum corpore unum sint: sicut dicimus quod materia prima et forma sunt unum.

Possunt autem ex ista via inferri alia inconvenientia. Si enim homo vel quaecumque alia substantia in qua ponuntur plures formae non sit simpliciter unum ens, sequitur quod

non possit definiri. Definitio enim est una. Ratio autem non est una nisi quia unius est rei, ut dicitur in 7 Metaph.

Et ulterius dicitur quod de tali substantia nihil poterit demonstrari, quia definitio subjecti est medium ad demonstrandum passionem de subjecto. Unde cum talis substantiae non sit definitio, non esset medium ad demonstrandum aliquid de ipsa; praecipue cum consequens sit ex dictis, *propositiones, in quibus subjicitur definitio substantiae, competit esse plures, et per consequens non ingredi sillogismum eundem.* Ex praedictis igitur tam rationibus quam auctoritatibus patet quod necesse est ponere unam solam formam in omni substantia. Et quamvis multitudo actuum pluralitatem quandam manifeste inducat non tamen inutiliter haec dicimus quia importunitas quorundam dicentium hanc opinionem esse contra philosophiam, compellebat ut ostenderetur per verba Philosophi quam consona sit suae doctrinae.

DIFFICULTATES EX PHILOSOPHIA

1. Nunc autem restat ut adducantur rationes ad partem oppositam, et dissolvantur. Sunt autem quaedam rationes ex quibus videtur quod praedicta sententia sit contra philosophiam, quarum una est talis: Materia prima primo recipit formam universalem, et postea mediante forma universalis recipit alias formas usque ad individuales, ut dicit Commentator super 1. Metaph. Forma item magis universalis et forma minus universalis sunt divisaec secundum rem, ex quo una recipitur in materia prius quam alia, et simul etiam sunt in eodem individuo. Simul enim Socrates est corpus per formam magis universalem, "et homo per formam minus universalem"; ergo in uno individuo sunt plures formae secundum rem divisaec.

2. Praeterea. In generatione animalis, in embrione prius inducitur anima vegetativa quam sensitiva, et sensitiva, priusquam forma specifica principaliter intenta, quia, secundum Philosophum, embrio prius est animal quam homo. Sed frustra inducerentur si abjicerentur et non manerent cum forma specifica. Si enim abjicerentur, omnes dispositiones accidentales in materia inductae cum eis recederent, et ita forma ultima animalis induceretur in materia prima omnino non disposita, quod est inconveniens.

3. Praeterea. Si in substantia hominis non sit nisi materia prima, et anima rationalis, cum anima rationalis non possit esse forma mixti eo quod forma mixti resultat ex commixtione elementorum, sequitur quod corpus humanum non sit mixtum.

et per consequens nec sanum nec aegrum; et ita perit tota scientia medicinalis.

4. Praeterea. Actio cujuslibet generantis terminatur ad formam substantialem; sed in generatione hominis est generantis actio: ergo sua actio terminatur ad suam formam substantialem sed non ad animam rationalem, quia ipsa est a solo Deo immediate "per creationem"; ergo praeter animam "rationalem", oportet esse in homine aliam formam ad quam terminatur actio naturae.

5. Praeterea. Impossibile est aliquid accidens manere post corruptionem sui subjecti a quo, et in quo causatur; sed recedente anima humana videmus ad sensum accidentia remanere in corpore mortuo, puta eandem quantitatem, figuram, gravitatem, situm partium, et hujusmodi multa circa quae sensus non decipitur cum sint per se sensibilia; ergo remanet subjectum eorum seu idem corpus quod prius, et per consequens eadem forma corporis; non ergo est actu corpus in homine per animam sed per aliam formam.

6. Praeterea. Recedente anima, quod remanet est corpus subsistens: ergo habet formam substantialem, quia sine forma substantiali nihil subsistit: sed non est ibi forma substantialis de novo inducta, tum quia forma substantialis est terminus generationis: ibi autem "nullum", apparet generans et per consequens nec generatio: tum quia generatio est terminus alterationis: ex vivo autem fit mortuum, quamquam sine alteratione praecedente, puta quum ex uno ictu occidit subito "homo interficitur", ergo corpus mortuum est subsistens per formam, quae praefuit in materia simul cum anima rationali.

7. Praeterea. Si in substantia hominis non est nisi materia prima, et anima rationalis, cum materia sit decisa a matre, anima autem sit creata a Deo, sequitur quod homo nihil habeat in se a suo patre, et per consequens non plus atinet patri quam cuiuscunque extraneo, quod est absurdum.

Ad primum dicendum quod cum dicit Commentator, formam universalem primo recipi in materia, et deinde alias, non intelligenda est illa prioritas et posterioritas secundum tempus, sed secundum ordinem naturae. Sic enim dicitur prius illud a quo non convertitur consequentia essendi, sicut universale respectu sui contenti; et ideo non sequitur quod inter formam magis universalem (adde sec. cod. Ot. et minus universalem) sit diversitas secundum rem, sed solum secundum rationem.

Ad ceteras evidenciam considerandum, quod omnes formae substantiales tam materiales quam separatae a materia in hac proprietate conveniunt, quod quaelibet dat esse substantiae; et sic constituit ens subsistens, et ideo intellectus noster habet unum conceptum communem de omnibus et abstrahit unam